



4423 4 4  
DISPUTATIO

De

BLASPHEMA ROMANI

PONTIFICIS TYRANNIDE ILLA,

QUAM PRIMAM ANNO AB HINC RE-

trorsum numerato centesimo ipso, nimirum

1517, expressè impugnare cœpit

Vir DEI

D. MARTINUS LUTHERUS

Quæ

*In Academia VVitebergensi ad diem 28. mensis Martij,  
Anno Christi 1617. repetetur.*

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO S.S.

Theologiæ Doctore, & Profess. P.

RESPONDENTE

M. ABRAHAMO HEINECCIO

WITTEBERGENSI.

---

WITTEBERGÆ,

Typis Iohannis Gormanni.



DISPUTATIO

De

BLASPHEMIA ROMANA

CONSTITUCIS TYRANNIDE HELA

QUANTISSIMAM ANNO AB HINC RE

PROBANT HANC CONSTITUCIONEM IPSA

REPERIENS IN PUGNANTIA

VI DE I

D. MARTINUS LUTHERUS

Qua

In Academia Vitebensi habita die 28. mensis Martij.

Anno C. M. LXX. V. repetitur.



PRÆSIDI

VV OLEFGANGO FRANKIO S.S.

Theologiae Doctor & Prof. P.

RESPONDENTE

M. ABRAHAMO HEINECCIO

WITTEBERGENSI.

WITTEBERGÆ.

Johannis Gottmanni







**H**si nullus omnino est Romanae Professionis articulus, qui tam omnium destituatur praetextuum speciosis palliationibus, atq; est iste *de primatu & suprema auctoritate Papae*, tamen nec ullius alterius plures impietatum audacissimarum & blasphemiarum execrabilium abusus diabolicos contigisse, quam huius ipsius, tristissimis aliquot superiorum seculorum exemplis confirmatum exhiberi posset, *sicut etiam hodie* nullis alijs rationibus commodioribus, quam his ipsis ab auctoritate Papae dependentibus, cunctas suas palpabiles Idolomanias, ut ut verbo **DEI** lapios coneritas & protritas, nihilominus excusant, de Ecclesia in Ecclesiam, deq; seculo in seculum, magno cum regni Papalis gaudio, propagant Pontificij.

II. *Nota sunt illa pauca de innumeris alijs adulatorum veterum encomiastica de Pontifice Romano pronunciata: Si solam scripturam nobis Christus reliquisset, quid aliud haberemus, quam gladium Delphicum, quem sabrefecerunt ob inopiam: Scriptura est Theologia atramentalis, religio sutoria: Certiores sunt traditiones sacris litteris: Malo discedere ab Evangelio quam ab Ecclesiae ceremonijs, Papa potest statuere contra epistolas Pauli, Roma fundamentum religionis Christianae, Si totus mundus staret contra Papam, tamen sententia Papae standum est, Papa est quoddam numen, quasi visibilem quendam DEUM praese ferens, Immo Papa est DEUS, idem Consistorium habet cum DEO, & idem tribunal cum Christo, DEVS rata habet, quae facit Papa, Mutato iudicio Ecclesiae mutatum est & DEI iudicium, & quae fuerunt infinita his similia alia.*

III. Harum authenticarum Pontificiarum verè diabolicarum exempla alia sat multa nunc praetermittimus, & tantum unum illud studiosae juventuti expendendum committimus, in quod omnium reliquorum primum ex alto Ecclesiarum suarum



miserus Pater omnium misericordiarum, anno ab hinc retrosum numerato centesimo ipso, per Divum Lutherum, igneo Spiritus Sancti fervore inflammatum, Censoriam sacrarum suarum litterarum virgam & benignissimè & potentissimè simul stringere voluit.

IV. *Sacrarum litterarum hæc est constantissima doctrina* 1. quod remissâ culpâ SEMPER & certissimò simul remittatur omnis pœna æternâ. Hoc enim sibi vult oraculum maximè axiomaticum Domini ac Servatoris nostri Jesu Christi, *Matth. 16. 19. & 18. 18. Ioh. 20. 23.* Quodcumque solveritis in terra, erit solutum & in cœlis, quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatû & in cœlis.

V. *Sed & sacrarum hæc est constantissima doctrina*, 2. quod remissâ culpâ & remissâ pœnâ æternâ INTERDUM simul remittatur omnis pœna temporalis. 3. quod remissâ culpâ & remissâ pœnâ æternâ INTERDUM non simul remittatur pœna temporalis, nimirum (quia juxta verba propositionis, remissâ culpâ indicatur hominem in gratiâ esse apud Deum seu Deo reconciliatum) in tali significatione accepto vocabulo pœnæ, ut divina indignatio adversus personam jam reconciliatam & maledictionis respectus secludatur.

VI. Exemplum clarissimum assertionis *secundæ* præbet Maria Magdalena, Zachæus, Petrus Apostolus & alij, qui post remissionem peccatorum acceptam peculiaribus calamitatibus ob ipsorum privata peccata non sunt subjecti. Exemplum *tertiæ* assertionis suppeditant alij quam plurimi veteris & novi testamenti homines.

Quod remissâ culpâ & pœnâ æternâ INTERDUM non simul remittatur pœna temporalis hujus vitæ, VII. Postquam (2. Sam. 12.) David propter commissum adulterium & homicidium, a Nathane objurgatus exclamat, *peccavi Domino*, illico etiam absolutionem impetrat. Sic enim Nathan ei respondet: *Dominus quoque transulit peccatum tuum, non morieris.* Tunc autem continuo subjicit eidem Propheta: *Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter hoc, filius, qui nascetur tibi, morte morietur.* Non modo autem eventus in illo unico respondit sed & in illis quæ paulò ante similiter comminatus fuerat nomine DEI propheta hisce verbis: *Quare contempsisti verbum Domini ut faceres malum in conspectu meo. Vriam percussisti gladio, uxorem*



uxorem ipsius accepisti in uxorem tibi. Quamobrem non recedet gladius, de domo tua usq; in sempiternum. Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua & tollam uxores tuas in oculis tuis & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in conspectu solis hujus. Tu fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel & in conspectu Solis hujus.

VIII. Similiter 2. Sam. 24. sese res habet, quando David agnoscit peccatum suum in numeratione populi commissum, & dicit, peccavi valde, sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui quia stultè egi nimis. Et si enim hac seria prece veniam à DEO impetravit culpæ & pœnæ æternæ, tamen etiam pœnam corporalem seu potius temporalem sustinere coactus fuit. Sic enim è vestigio ibidem dicitur: Tria tibi offero, Elige tibi unum ex his, Aut septem annis veniet tibi fames, aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, aut tribus diebus erit pestilentia.

IX. Illustrissimum aliud est Num. 14. ubi Israelitas ab explorantibus plerisq; seductos & murmurantes ferire pestilentia constituerat Dominus, nisi statim Moses intercessisset hæc verbis, Audient (inquiens) Ægyptij & dicent, non poterat introducere DEVS populum in terram, iccirco occidit eos in solitudine, magnificetur fortitudo Domini, sicut jurasti Domine, patiens & multa misericordia, dimitte obsecro peccatum populi tui hujus secundum magnitudinem misericordie tue.

X. Et si verò his intercessionibus flectitur Dominus, nec deleat populum, verum ita alloquitur Mosen, Dimisi juxta verbum tuum, seu, Peperci juxta verbum tuum, tamen illic quasi erecta manu, ut solent graviter irascentes, adjicit, Veruntamen vivo ego & replet gloriam meam universa terra, quod omnes qui viderunt gloriam meam, & signa mea quæ feci in Ægypto, & in deserto, & tentaverunt me jam decem vicibus, nec paruerunt voci meæ, non videbunt terram quam juravi Patribus eorum, nec quisquam eorum qui irritaverunt me, videbunt eam. Vivo ego, ait Dominus, sicut locuti estis, audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra, omnes qui numerati estis à viginti annis & supra, & murmurastis contra me &c. Hactenus verba Iehova, quibus respondit eventus plusquam certissimus. Lutherus reddidit: So war als ich lebe / so sol alle Welt der Herrlichkeit des HERRN voll werden / der keiner sol das Land sehen / das ich ihren Vätern geschworen hab.



Magnā  
quandōq;  
constantiā  
Deus decre-  
tum pœna-  
rum tem-  
poralium  
exequitur.

XI. Et quidem tam severus est Deus in decretis illis suis ex-  
equendis, ut quandōq; ea ipsa prorsus non muret. Exemplum il-  
lustrissimum præbet Moyses, cui Deus pœnam dictaverat Num.  
20. v. 12. quod Deum nō honoraverat apud Petram Silicis, ideo-  
que in terram promissam ipse quoque ingredi non debebat. Post  
auditam illam comminationem paulatim & pededentim appro-  
pinquat populus ad terram Canaan, atque cum vicinis hostibus  
configere & gloriosissimā victoriam reportare incipit. Hac feli-  
citate impulsus Moyses incipit deprecari Deum, ut muret decre-  
tum suum de sua morte extra terram Canaan subeunda factum,  
adeoq; concedat, ut possit intra ipsam terram Canaan ducere  
populum. Deut. 3. v. 10.

XII. Audiatur Ipse, hæc eadem commemorans, Deut. 3. v. 23.  
& seq. *Precaus sum (inquit) Dominum in tempore illo dicens, Domine, tu  
coepisti ostendere servo tuo magnitudinē tuam, manūq; fortissimā, transibo  
igitur, & videbo terrā hanc optimā trans Iordanē, & montē istum egregium.*

XIII. Verum enim verō has preces exaudire noluit Domi-  
nus, id quod patet ex illis, quæ ibidem ē vestigio respondit ipsi  
Dominus, v. 26. his verbis: *Iratus est Dominus mihi propter vos, nec ex-  
audivit me. Sed dixit mihi, Sufficit tibi, nequaquam ultra loquaris hac de  
re ad me. Etsi vero hæc dura sunt verba, tamen mitigationem ali-  
quam istius pœnæ Moyse concessit Dominus, dum iussit, ut con-  
scenderet montem, & à longinquo terram intueretur.*

XIV. Quæ porrō ad hoc negotium pertinent, ea libet potius  
verbis Chemnitij recensere, quæ extant parte secunda Examini Concilij  
Tridentini, titulo de satisfactionis necessitate & fructu, Item de Operibus  
satisfactionis. Et habent verba sese in hunc sequentem modum:

Verba  
Chemnitij.

XV. Quod ad pœnas temporales in hac vita attinet, (pij) post  
acceptam remissionem peccatorum subficiuntur in hac vitā vel  
communibus calamitatibus vel peculiaribus pœnis propter certa  
seu privata quædam peccata, ut Adam Gen. 3. David 2. Reg. 12. & 24.  
Item populus Israel, Exod. 32. Num. 12. Mariam Num. 12. Testantur  
idem calamitates baptizatorum post baptismum.

XVI. De hoc igitur non est controversia, an post reconcilia-  
tionem credentes in hac vita subiecti sint communibus calami-  
tariis. Id enim & Scriptura & experientia testatur. Ostendunt  
etiam



etiam scripturæ exempla, Deum aliquando, & post reconciliatiōem seu remissionē quibusdam singulares pœnas ob peccata in hac vita imponere. Quamq̃ iam hoc non sit universale, nec enim semper, nec omnibus Deus singulares pœnas, quibus peccata remittit, in hac vita imponit, testantur exempla paralytici, Magdalena, Publicani, Zachari, Petri, de quo Ambrosius inquit: Lachrymas ejus lego, satisfactionem non lego.

XVII. Sed hæc est quæstio; quare, propter quas causas & in quem finē tales pœnæ reconciliatis post remissionē culpæ in hac vitâ à Deo imponantur. Et licet de vocabulis nolim pugnare, an afflictiones illæ reconciliatorum vocandæ sint pœnæ peccatorum, an vero paternæ correptiones & castigationes: Scriptura enim etiâ dicit, de reconciliatis, corpus mortuū est propter peccatū. Rom. 8. & 2 Reg. 12. quia fecisti hoc &c. Omnino tamen statuendū est discrimen inter pœnas seu afflictiones, quæ infliguntur impijs, & quæ imponuntur reconciliatis. In impijs enim sunt signa offensæ Dei, & personam illam esse sub irâ Dei, & sunt testimonia secururæ æternæ pœnæ.

XVIII. Hanc causam & rationem non habent in reconciliatis, quasi Deus illis nondum satis sit reconciliatus, sed aliquid offensæ retinuerit, etiam post datam remissionem peccatorum, sed illis imponuntur ad castigationem sui & ad exemplum aliorum.

XIX. Porro de pœnis illis temporarijs ex Scriptura & hoc constat, Deum pro bona sua erga reconciliatos voluntate, qua propter filium mediatorē omnia ita dispensat, ut ipsis in bonum cedant, Rom. 8. nec semper, nec omnibus reconciliatis singulares pœnas in hac vita imponere nec æqualiter illas omnibus imponere, impositas etiam à Deo sæpè mitigari aut tolli, aliquando verò eas manere, & in hac vita non tolli, & inde reconciliati sumunt occasionem pulcherrimorum exercitiorum pœnitentiæ fidei, invocationis, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, spei &c.

XX. Observandum verò est, pœnas temporarias mitigari tota pœnitentiâ, nō quod opera ejus sint vel compensationes vel merita remissionis peccatorum, sed quia castigationibus illis Deus in reconciliatis aliud nihil quærit, quâ ut conseruetur, magis accendatur, crescat & augeatur vera humilitas, agnitio, odium, & detestatio peccati, exercitiū fidei, mortificatio veteris hominis, patientia, spes &c.

Quando



Quando igitur in ipsis pœnis Deus talia pœnitentiæ exercitia in-  
reconciliatis videt, tunc habet id, quod castigationibus istis qua-  
rere solet. Atque ita pœnæ illæ vel mitigantur, vel tolluntur  
propter filium mediatorem. Et hoc est, quod Paulus docet 1. ad  
Corinth. 11. *si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur. Quando  
verò judicamur, à Domino castigamur, ne cum mundo damnemur. Nam  
per verbum *neque* *scilicet* intelligit eo loco pœnas temporarias.*

XXI. Nec tamen ipsa pœnitentia cum fructibus suis DEO  
præscribere vel potest vel debet, terminum aut modum seu mi-  
tigationis seu liberationis in pœnis illis castigatorijs. Sed totum  
hoc humilis fidei obedientia resignat, & commendat paternæ  
DEI erga nos voluntati, cum quidem certi simus, diligentibus  
DEUM omnia in bonum cooperari, Rom. 8. Ita Joelis 2. cum  
in vera pœnitentia perunt à DEO mitigationem & liberationem  
in pœnis temporarijs, addunt. *Quis scit, si convertatur, & relin-  
quat benedictionem. 1. Reg. 12. Quis scit, si forte misereatur mei  
Dominus, ut infans vivat.*

XXII. *Hactenus omnia fuere verba & sensa Chemnitij: quæ tandem  
concludit in hunc modum: Hæc utilissima doctrina continens pul-  
cherrima pietatis exercitia, Pontificijs satisfactionibus miserè &  
scædè obscurata & depravata est, sicut mox ostendemus. Volui  
autem hoc loco priusquam ad Examen Tridentini decreti de sa-  
tisfactionibus accederemus, veram Scripturæ sententiam de ca-  
stigationibus temporarijs, quæ vel communibus, vel aliquando  
singularibus flagellis post reconciliationem in hac vita credenti-  
bus à Deo imponuntur, explicare, ut expeditior, & minus intrica-  
ta esset ratio examinis. Video enim à Pontificijs in hac de satis-  
factionibus disputatione, quadam miseri, quæ per se rectè intellecta ve-  
ra sunt, ut de reliquijs peccatorum mortificandis & de pœnis tem-  
porarijs, ut ita speciem aliquam veritatis commentis suis circum-  
dent, utque nos prægravent, quasi illa etiam, quæ vera & utilia  
sunt, negemus & abjiciamus. Hæc etiam Chemnitius.*

XXIII. *Hactenus sententia sacrarum Scripturarum simpliciter  
& breviter fuit proposita: Audiamus jam, quomodo illam ipsam  
utilissimam, & exercitiorum summæ pietatis plenissimam do-  
ctrinam tyrannis Pontificia obscurare, premere, opprimere, &  
diabolicè*



diabolicè torquere & delere conata fuerit. Sicuti enim contra contextum sacrarum Scripturarum vel ex Ethnicis auctoribus, vel ex cerebri humani speculationibus fabulam purgatorij genuit, ita contra sacras literas utilissimam doctrinam de pœna temporali aliquando etiam reconciliatis post acceptam remissionem peccatorum à DEO immitti consueta non in errores, sed in furores diabolicos, tres, convertit impientissimè.

XXIV. Tres isti furores ita se habent. 1. *Quasi* pœnis divinitus impositis pro peccatis satisfacere valeamus. Item per analogiam *quasi* opera pœnitentiæ sint compensationes vel merita remissionis peccatorum. 2. *Quasi* in charitate non perfecta, nec à labe peccatorum profus mundati, nec antè debitæ satisfactionis de commissis vel omissis completionem absoluti, vel solum minutis quibusdam venialibus peccatis adhuc obnoxij morientes, in cœlum transire non valeant, nec in infernum detrudi queant, sed in intermedium locum pertineant, ubi pœnali satisfactione expientur, igneq; peccati maculæ eorum excoquantur, ut priusquam generale iudicium fiat, exsoluta pro delictis satisfactione, & labe peccati expurgati perfecti & puri in paraditum transferri queant. 3. *Quasi* Papa pœnas ob peccata contrita & confessa impositas per indulgentias (de quarum qualitatibus & requisitis atq; effectis in hac disputatione profus nihil tangetur,) planè relaxare possit, sive illæ fuerint à Papa vel Sacerdotis arbitrio vel Canone impositæ, vel etiam à justitia divina exigente sive hic sive in purgatorio dissolvendæ.

XXV. Hos ipsos seu errores seu potius furores hoc ipso abhinc numerato retrorsum anno centesimo, in nūdinationibus indulgentiaris deprædicavit, & postea etiam contra LUTHERUM defendit *Iohannes Tezelius*, quanquam D. *Conradus Wimpina* thesium adversariarum author statuatur. *Lutherus* propositiones de indulgentiis inchoat hoc pacto: Dominus ac Magister noster JESUS CHRISTUS dicendo. Pœnitentiam agite &c. *Econtra Tezelius* seu pro *Tezelio* adversarias edidit propositiones D. *Conradus Wimpina*, que extant Tomo primo *Ienensi* latino, in duabus disputationibus.

B

tionibus,



rationibus, quarum prioris initium est: Dominus noster Jesus Christus sacramenta novæ legis &c. Posterioris verò initium est; Docendi sunt Christiani, ex quo in Ecclesia potestas Papæ est suprema. Utraq; disputatio proposita fuit in Academia Francofordiensi Marchiacâ ad Viadrum seu Odoram, & in utraque illa continentur indigitati errores seu furores.

XXVI. *De primo blasphemo errore ita habet Tezelius:* Quisquis dicit, Christum dum prædicavit, pœnitentiam agite, sic voluisse interiorem pœnitentiam & exteriorem carnis mortificationem, ut non etiam docere vel cointelligere potuerit pœnitentiæ sacramentum, ejusq; partes, confessionem & satisfactionem tanquam obligatorias, errat. Immò nihil nunc juvat, si interior pœna etiam operetur exteriorem mortificationem, nisi adsit factio vel voto satisfactio. Hæc satisfactio (cum Deus delictum absq; ultione non patiatur) per pœnam fit, vel æquivalens, in acceptatione divina. Quæ vel à præbyteris imponitur, arbitrio vel canone vel nonnunquam à justitia divina exigitur hic vel in purgatorio dissolvenda.

XXVII. *De secundo blasphemo errore idem Tezelius:* Quanquam contemptus verus vel Interpretativus excludit sacramentum, quod non raro contingit in sero pœnitente, nec mors inopina nec necessitas relevant ab ultione gravissima insequente, non tamen est de his desperandû, cum minima contritio, quæ potest in fine vitæ contingere, sufficiat ad peccatorum remissionem ac pœnæ æternæ in temporalem mutationem. Item, Non dormientibus Episcopis sed Juris Capiulis, discretus & pius jubetur esse Sacerdos, ut potius cum exili pœna ultrò excepta mittatur confessus ad purgatorium, quam cum refutata ad gehennam, &c.

XXIX. *De tertio blasphemo errore, idem Tezelius:* Hanc pœnam ob peccata contrita & confessa impositam potest Papa per indulgentias penitus relaxare, sive hæc sit ab eo vel sacerdotis arbitrio vel canone imposita, vel etiam justitia divina exigenda. Item Indulgentiarum prædicatores errare, dum prædicant, per Papæ indulgentiam hominem posse ab omni pœna solvi, & salvari; error, Dicere Papam nullam remittere anima-  
bus



bus in purgatorio poenam, quam debuissent in hac vita secundum Canones solvere, error. Item asserere Papam non habere majorem vel efficaciorum potestatem in purgatorium, generaliter suffragij forma jubileum impartiendo, quam qualem aut quantam habeat Episcopus vel plebanus in sua diocesi & parochia specialiter, error. Item Papalibus indulgentijs secundum omnem formam ritè acquisitis non reconciliari hominem DEO, verè videlicet contritum, & confessum, error. Gratias veniales non respicere nisi poenas satisfactionis ab homine constitutas, & nõ etiam à Canone vel justitia divina, error. Item opera charitatis plus valent in merendo, sed veniæ plenariæ magis in celeriter satisfaciendo & totaliter relaxando.

XXIX. In Disputatione secunda: Docendi sunt Christiani, quod plenissimam indulgentiam non Concilium generale nec prælati alij Ecclesiæ simul vel disjunctim dare possunt, sed solus Papa, qui est Sponsus universalis Ecclesiæ. Docendi sunt Christiani, quod veritatem & fidem de indulgentijs habendis nullus mortalium, immò nec concilium generale, sed solus Paps, qui de Catholica veritate sententialiter habet judicare, potest determinare. *Hac omnia satis audacter, plus satis blasphemè F. Iohannes Tezelius Dominicanus Theologiæ Doctor, Pirnæ ad Albim natus auctoritate Leonis X. Pontificis Romani & Alberti Archiepiscopi Moguntini & Magdeburgensis, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Primatis Germaniæ, Principis Electoris, & Marchionis Brandenburgensis, quem speciali commissione Papa indulgentiarum per Germaniam publicandarum negotio præfecerat.*

XXX. Officio suo nimis strenuè functus Tezelius inter alia plebem docebat, nec Petrum, si Papa modo esset, majores dare posse gratias, item Venias Papales esse tantas, ut solvere possint hominem, etiam, si quis per impossibile DEI genitricem violasset, (nimirum à majore ad minus postea hoc interpretatus, cum peccatum in filium hominis, Maria progenerum, etiam possit remitti.) Item Crucem Papalibus insigniter erectam armis, cruci Christi æquivalere: Item statim ut jactus nummus in cistam tinnierit, evolare animam ex purgatorio.

B 2

XXXI. Au-



XXXI. Augebat plebis fervorem, quod de purgatorio igne disputari & doceri inaudiverant, quod ignis ille idem & unus esset cum igne inferni, quoad substantiam, & quod ideo utrobique essent æquales poenæ, saltem sub hoc discrimine, quod in inferno essent perpetuæ & æternæ, in purgatorio temporales & transitorie, *item* quod una scintilla minima purgatorii excedat ingentissimam poenâ & cruciatum corporalem hujus vitæ corporalis. *Item* in purgatorio sæpe numero per aliquot centum annos, tamq; diu ignibus ustulari infernalibus animas donec vel pro mensura peccatorum satis fecerint, vel citius suffragijs viventium inde liberentur, nimirum aut oblationibus sacerdotum, aut sanctorum orationibus, aut charorum elemosynis, aut cognatorum jeunijs, & similibus pietatis officijs, qualia sunt vigiliæ, peregrinationes, animarum balnea, indulgentiæ, ita tamen ut indulgentias reliquis omnibus efficaciores statuerent, quemadmodum docuit Tezelius supra thesi 27.

XXXII. Cum igitur anno Christi 1517. Lutherus hæc abominandas blasphemias, execrabiles tyrannides & avaritias diabolicas in hac vicinia sub nomine & prætextu summæ gratiæ & misericordiæ erga defunctorum in purgatorio sudantes animas auditione acciperet, irritatus in eo Spiritus Domini virum illum DEI ex alto singulari fortitudine & robore induit, ut quod eventus comprobavit, divinum opus aggredere, unde secuta est illa reformatio & repurgatio religionis, pro qua satis dignas gratias nec concipere animis nec ore agere possumus.

XXXIII. Lutherus igitur blasphemis de prædicationibus suis opposuit propositiones de indulgentiis, ubi inter alia Pontificis Romani auctoritatem (de ipsis enim indulgentiis nunc nihil libet agere.) in magnam suspicionem vocavit, *hisce nimirum sequentibus assertionibus.*

1. Papam nec posse nec (si scilicet Canonum suorum memor esse cupiat) velle ullas poenas remittere, præter eas, quas arbitrio vel suo vel Canonum imposuit.
2. Papam etsi remittere conatur (nimirum omnes poenas) tamen



tamen aliter non posse remittere culpam ullam, nisi declarādo & approbando eam esse remissam à Deo aut ad summum remittendo casus reservatos sibi.

3. Canones pœnitentiales solum viventibus esse impositos, nihilq; morientibus secundum eosdem debere imponi, cum Papa ipse in suis decretis excipiat articulum mortis.

4. Indoctè igitur facere sacerdotes, qui morituris pœnitentias Canonicas in purgatorium reservant.

5. Errare indulgentiarum Commissarios qui dicunt, per Papæ indulgentias hominem ab omni pœna solvi & salvari, vanam esse fiduciam salutis per literas veniarum, etiamsi Commissarius, imò Papa ipse suam animam pro illis impignoraret.

XXXIV. Et quia Vir DEI tunc temporis nondum ipsam omnem auctoritatem Romani Pontificis alienam à veritate esse existimabat, neque etiam purgatorio per omnia valedixerat, *iccirco abusus quosdam inter alia hos quoq; perstringebat.*

1. Docendos esse Christianos, quod si nosset Papa exactiones venialium prædicatorum, mallet Basilicam S. Petri in cineres ire, quam ædificari, cute, carne & ossibus ovium suarum,

2. Docendos esse Christianos, quod Papa si cur debet, ita vellet, etiam vendita si opus sit Basilicæ S. Petri de suis pecuniis dare illis, à quorum plurimis quidam Concionatores veniarum pecuniam eliciunt.

3. Injuriam fieri verbo DEI, dum in eodem sermone æquale, vel longius tempus impenditur venijs, quam illi.

4. Mentem Papæ necessariò esse, quod si veniæ, quod minimum est, una campana, unis pompis, & ceremonijs celebrantur, Evangelium, quod maximum est, centum campanis, centum ceremonijs prædicandum.

5. Thesauros indulgentiarum esse retia, quibus piscantur divitias virorum.

6. Malè facere Papam, quod non evacuat purgatorium propter sanctissimam charitatem & summam animarum necessitatem, ut causam omnium justissimam, si infinitas animas redimit propter pecuniam funestissimam ad structuram Basilicæ,

B 3.

ut:



ut causam levissimam? Item, Cur non reddit beneficia pro anniversary defunctorum celebrandis instituta, cum jam sit injuria, pro redemptis orare. Item, cur inimico DEI conceditur propter pecuniam redimere animam piam & amicam DEO. Item, Cur Papa non de suis pecuniis magis quam pauperum fidelium struit unam Basilicam S. Petri, cum Papa omnibus Croe- sis sit dicitur factus &c. *Hac omnia Vir D E I, Lutherus, non obscure injustam, immo Diabolicam tyrannidem & avaritiam summi Pontificis arguens.*

XXXV. Et non tantum omni jure, sed & per opportunam occasione potuit in illam Diabolicam tyrannidem & avaritiam acuere argumenta & stilum suum, utpote, quæ tunc per totum orbem Europæum innotuerat, adeo ut neminem latere posset, omnesq; passim palpare valerent, Pontificem Romanum tantas vires indulgentiis suis ascribere, non ex interna earundem qualitate, non ex amore erga miseras animas in purgatorio, ex ejus sententia laborantes, sed tantummodo aut omninò præcipue ex insatiabili tyrannica avaritia, ut & Basilicam S. Petri reedificare & adhuc thesauros suos in immensum augere posset.

XXXVI. Rem ita sese habuisse tunc temporis, nemo non satis colliget ex illis, quæ *Iohannes Cochleus Pontificius in libro de actis & scriptis Lutheri de illâ toties jam nominatâ Basilicâ S. Petri recenset. Verba ejus sunt hæc, quæ sequuntur: Accidit anno Domini 1517. ut Leo Papa X. novas divulgaret per orbem indulgentias, OCCASIONE novæ structuræ templi sancti Petri Romæ, quam antecessor ejus Julius Papa II. sumtuosissimâ inceperat magnificentiam, morte autem præventus tantæ magnificentiæ opus perficere nō potuit. Extruxerat quidem templum illud, ut multa alia religioso apparatu & opere satis sumtuoso & magnifico Constantinus Imperator potentissimus, (quem nos magnum, antiqui maximum dixerunt) diversa ingentium columnarum (quales ætate nostra non fiunt) serie suffultum & conspicuum, quod temporis (ut fit) diuturnitate labefactum, cum in plerisque partibus suis dehis- scere ac ruinam minitari videretur, Julius Papa II. vir magnanimus, illud non tam reparare in verustate collapsis parti- bus & sarta recta reficere (QUOD UTINAM MALUIS- SET.)*



SET) studuit, sed in maximam potius STUPENDIAM QUÆ  
molem à novo erigere cepit, ut est videre adhuc hodie in jactis  
ab eo fundamentis, & excelsis absidibus, testitudinibusq; & co-  
lumnis, altissimarum turrium instar sublimatis, & in aërea edu-  
ctis, EA NIMIRUM CONSIDERATIONE, ut quemadmo-  
dum Ecclesia Romana potestate ac dignitate cunctis per orbem  
Ecclesiis propter verbum Christi & principatum Petri, superemi-  
ner atque præfulget, ITA ET TEMPLUM PETRI MAGNI-  
TUDINE STRUCTURÆ, & OPERIS MAGNIFICENTIA  
COETERIS OMNIBUS ANTEFERRETUR, magisque con-  
spicuum foret, At LEO Papa X. vir liberalis, atque ad erogandas  
(nēdicam PROFUNDENDAS) quam ad corrogandas ac qua-  
ritandas pecunias multo pronior, cum esset tantæ structuræ sum-  
tibus impar, & suis opibus tantarum impensarum opus ad cōple-  
mentum perducere non posset, ut pio subsidio multorum adju-  
trices manus acquireret, divulgavit indulgentias, SICUT ET  
ANTE EUM SÆPIUS FACTUM FUERAT. *Hæc omnia Coch-  
leus Pontificiæ religionis acerrimus assertor.*

XXXVII. Quis tam vera nobis prodere de diabolica tyran-  
nide & avaritia Pontificum Romanorum potuit, atque hic i-  
pse acerrimus sedis Apostolicæ, ut jactitant, Patronus. Miseri  
nostri majores per Tezelium persuasi *crediderunt*, verissima esse,  
quæ de potestate Papæ & de ejus indulgentiis tunc Germanis  
nostris prædicavit, & tandem utraque, disputatione superius in-  
digitata complexus fuit, *crediderunt*, Leonem X. ex toto pectore  
sua æternam salutem, animarum Germanicarum in purgato-  
rio gementium, gestire toto corde, ut illæ, & aliarum pro-  
vinciarum innumere animæ celerius suis cruciatibus liberaren-  
tur, *crediderunt* denique, se nummos & facultates suas melius  
profundere non posse, quam in subsidium defunctorum  
suorum.

XXXIIX. At at, Cochleus prodit Crocodili lacrymas, qui-  
dam flet, devorat mox hominem. Non divulgavit Leo X. indul-  
gentias ex amore erga celerrimam salutem infinitarum animarum,  
sed OCCASIONE illa ut posset templum S. Petri magnificentissimum  
edificare.





ædificare, Non inquam ipsi curæ & cordi fuit salus populorum, sed ut posset structura comparari, quæ externis suis magnificentijs, argumentum unum insigne ad totam præberet posteritatem, de suprema auctoritate Pontificis Romani, tanto Romanum Pontificem esse superiorem omnibus alijs Episcopis, quanto illa structura superaret reliquas omnes.

XXXIX. Quis jam amplius mirabitur Lutheri vocem, qua sæpius *Odio Papæ impleri* exoptavit omnes pios si hæc jam breviter delineata expēdet, Verbis enim à nullo satis unquam exaggerari possunt, illæ fraudes, hypocryses, tyrannides, blasphemix in summo gradu Satanicæ. Quod enim Leo X. tum temporis ex diabolica fecit avaritia, illud ante eum tentarunt plurimi sæpius, id quod prolixissimè demonstrari posset, nec dissimulat *Cochlæus* cum ait, *pro structuris complendis* divulgatas fuisse istas indulgentias, sicut & ante Leonem sæpius factum fuerat.

XL. Putidissimum igitur figmentum est, quod tandem scribere non veretur *Cochlæus*, antea divulgandis indulgentijs per strenuam operam sedi Apostolicæ navasse homines ordinis sancti Augustini Eremitarum, non solum prædicando, verum etiam libros, quales nominat *Cœli fodinam* & ejus supplementum, scribendo, & iccirco tunc temporis ægrè tulisse Lutherum & Staupitium, ambos fratres Augustinianos, veluti præcipuos duos gregis sui arietes, fama & auctoritate celebres & præ alijs conspicuos, quod Tezelius frater ordinis prædicatorū hac insigni vice Augustinianis fuerat prælatus, ideoq; Staupitium indulgentias Papales Principi Electori Frederico III. suspectas reddidisse, Lutherum verò arrepto calamo easdem impugnasse. Patet enim præter ea quæ jam sunt dicta tum ex alijs documentis magnis, tum ex Propositionibus à Luthero ante annum 1517. disputatis, quam anxie inquisiverit veram & infallibilem viam ad æternam salutem, adeoque nihil ex affectu egerit. Lector eas inveniet tomo I. Jenensi Lat. statim sub initium.

XLI. Sed audi ulterius Lector, quo pacto ad manifestissimam Papæ tyrannidem & execrabilem avaritiam istius temporis,



poris, adultores Tezelius & Wimpina responderint. Paucis  
multa comprehendendo, audacter assertam audacius & audacis-  
sime propugnare perrexerunt.

XLII. Sic enim habet in *Thesibus*: Docendi sunt Christiani ex  
quo in Ecclesia potestas Papæ est suprema & à solo Deo instituta,  
quod à nullo puro homine nec à toto simul mundo potest re-  
stringi aut ampliari, sed à solo DEO. *Item*, quod sententiæ Papæ,  
quam de his, quæ fidei sunt, profert, in iudicio magis standum est,  
quam sententiæ quorumcunq; hominum sapientum, in scriptu-  
rarum opinionibus. *Item* quod Ecclesia multa tenet ut veritates  
Catholicas, quæ tamen sicut nec in Canone Bibliæ, ita nec à Do-  
ctoribus antiquioribus ponuntur. *Item*, quod observantiæ omnes  
in materia fidei Apostolicæ sedis iudicio definitæ sunt inter Ca-  
tholicas veritates computandæ, licet in Canone Scripturæ sacræ  
non reperiantur contineri. *Item*, quod S. Romanam Ecclesiam  
B. Ambrosij exemplo in omnibus ut magistratam suam & non  
propriam phantasiam sequi debeant. *Hec omnia isti duo Tezelius &  
Wimpina.*

XLIII. Summa omnium eò redijt, Ecclesiam Romanam  
seu potius Pontificem Romanum errare nõ posse, & iccirco nul-  
lius hominis sententiam de indulgentijs contrariam esse atten-  
dendam. Quæ omnia similia sunt istis audacissimis pronunciatis  
malorum Hebræorum recentium, Rabbini simpliciter fidem esse  
habendam, etiamsi dextram dixerint esse sinistram, & sinistram  
dextram. Verum Spiritus Sanctus Lutherum indies indiesq; ex-  
stimulavit fortius, ut non nisi scripturam, scripturam, scripturam  
posceret, scrutaretur, opponeret, unde paulò post contigit, quod  
*Cochleus conqueritur hisce verbis*: Tezelio itaque qui antea quoque  
per indulgentiarum frequentes prædicationes pecuniarum col-  
lectas fuerat, per huiusmodi querimonias criminationesq; tum  
Lutheri, tum Poëtarum & Rhetorum, indies magis ac magis de-  
crescebat auctoritas apud populum, minuebatur plebis ad indul-  
gentias devotio, invisi reddebantur Quæstores & Commissarij,  
rarecebant manus largientium, Luthero autem contra augeba-  
tur auctoritas, favor, fides, existimatio, fama, quod tam liber  
acerq; videretur veritatis assertor, contra fraudes quæstorum &  
fumos





fumos Bullarum, quas non gratis darent, sed pecunijs venderent  
indulgentiarum Commissarij. *Hec ille.*

*Et sic ergo:*

LUTHERUS decimum confecit strage Leonem,  
De clava noli quærere, penna fuit.

XLIV. Omnino hoc factum fuit à Domino, & est mirabile  
in oculis nostris. Operæ quoque precium esset examinare qua-  
litates illorum Pontificum Romanorum, quorum auctoritatem  
tantopere tunc quoque temporis assertam summam & quorum  
sententiam tanquam Dei ipsius vocem in rebus fidei unice au-  
diri isti adulatores voluerunt. Non fuere autem isti à pueritia  
enutriti in sacris litteris non potentes in scripturis, unde confi-  
lia sana aliis sanissima potuissent suppeditare, sed in aliis discipli-  
nis, aut etiam in oëio per omnem antea actam vitam educati &  
per favorem atque familiarum splendorem ad tantam evecti  
dignitatem, quemadmodum in hunc usque diem Romæ fieri so-  
let in plerisque.

XLV. Non dissimulant illud isti qui vitas Pontificum de-  
scriptas nobis reliquerunt Platina, Onuphrius & alij, referunt de  
illis qui Leonem X. antecesserunt vix alia, quam quæ perhibent  
de Leonis X. successoribus qui plerique omnes in primis Pontifi-  
cio juri operam strenuè navarunt, ut eo certo nobilique præsi-  
dio familiæ splendorem & dignitatem tuerentur, sicut & tales  
Doctores fuere PIVS IV. Gregorius XIII. Urbanus VII. Gre-  
gorius XIV. Innocentius IX. &c. Sed de antecessorum ante Le-  
onem X. ut & de successorum studiis & vita differere alterius est  
instituti.

XLVI. Isti ergo & tales sunt, qui de rebus tantis quorum o-  
mnino sunt ignari, judicare, & ipsi soli licet, fratres ignorantia, &  
fidei magistri audire voluerunt, qui tam audacter tam præfra-  
ctè, tam impie infinitis propemodum dogmatibus & ceremonijs  
scripturæ è diametro contrarijs aut interdum ad minimum igno-  
tis orbem compleverunt, adeoque statum Christianorum N. T.  
jugo presserunt longè graviore, quam unquam populus cervici-  
bus impositum onus aliquod portare necessum habuit, id quod per  
unum illud argumentum effecerunt *avj@ è Pa.* Valde autem  
commodè suis honoribus prospiciunt Pontificij Doctores, quod  
omni-



omnium aliarum rerum veritatem libere inquirere permittunt, modo primatum hunc non tangas, ut recte Lutherus ex praxi edoctus monet. Salvo nimirum primatu, omnia sua falsa dogmata salvare possunt, destructo primatu omnia eorum falsa dogmata corruent. Si enim divina protuleris ex scripturis argumenta, at tamen eadem ecclesie Pontificis iudicio subjeceris, quid inde veritas, de qua gaudeat, habebit.

XLVII. Cum autem totius durationis regni Pontificij & omnium in regno Pontificio idolomaniarum causa, ut & *ὁ ἐν δεξιᾷ* sit primatus Pontificis Romani tantopere jactatus, merito quaeret aliquis, Num nam, & quibusnam solidis sacrarum litterarum fundamentis tanta res innitatur, operaque precium fuerit, paucis delibare, quod praeter & contra omnem scripturam tyrannicum illud suum imperium Pontifices Romani in totam ecclesiam, & in omnes status usurpaverunt, & adhuc tyrannice usurpent.

XLIIII. Omnium, quae pro ista summa praerogativa proferrunt oracula sacra firmissima iudicantur esse illa duo, 1. quando Christus Petrum alloquitur, Matth. 16. 17. his verbis: *Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni caelorum.* 2. quando iterum Christus Petrum alloquitur, Joh. 20. 15. his verbis, *Simon diligis me, pasce oves meas.* In priore contendunt Petro promissam, in posteriore vero datam summam potestatem super universalem ecclesiam.

XLIX. Etsi vero recentiores aliud excogitarunt argumentum, praerogativas videlicet 28. Petro praeter reliquis Apostolis datas, deinde etsi Patrum testimonijs Graecorum & Latinorum litteris eundem Principatum munire conantur, tamen nisi in duobus oraculis praecedente these alligatis auxilium ex solido paratum, invenerint, haec ficulnea subsidia Romano Dictatori non satis bonas suppetias ferre valebunt.

L. De oraculo Christi Matth. 16, 17. *Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni caelorum.*

LI. Quod ad primum locum attinet, quanquam ex illo probare conantur, Petrum solum accepisse claves praeter ceteris, adeoque omnibus Apostolis reliquis principem superiorem a Christo constitutum, tamen quia nostri objiciunt eadem verba Joh. 20, 23.



accommodari omnibus Apostolis, quorum remiseritis peccata: idcirco limitatis explicationibus disputant, Matth. 16. Saltem promissionem Petro factam, & eam demum Johan. 20: completam fuisse.

LII. Verum enim vero siue promissa siue data dicatur Petro superioritas Matth. 16. tamen hoc nondum est probatum, in iisdem verbis soli Petro exclusis reliquis discipulis aliquid promitti.

LIII. Contrarium penitissime patet ex contextu, quod nimirum in Persona Petri fuerit, promissio facta omnibus Apostolis: Ratio est quia antecedentia restantur & simul consequentia confirmant, Petrum fuisse tunc temporis os omnium Apostolorum. In antecedentibus hæc est quæstio Christi ad omnes discipulos directâ, vos, quem me dicitis esse. Ad quæstionem respondet Petrus, quod sit Filius Dei viventis. In consequentibus post datam à Petro responsionem conclusio dirigitur iterum ad omnes discipulos, tunc imperavit discipulis suis, ut nemini dicerent, quod ipse esset Christus. Quis non hinc videt, Christo omnes discipulos, roganti, Petrum loco omnium discipulorum respondisse, & Christum post responsionem à Petro datam initio ad respondentem se convertere, mox tamen in continuatione sermonis seu materiæ inchoatæ, cõprehendere & alloqui cunctos discipulos; & indicare super illud quod responsione ista per Petrum prolata determinatur, & edificandam esse Ecclesiam.

LIV. Quid sit autem illud, super quod edificanda est Ecclesia, iterum ex contextu apparet, nimirum id, quod non caro & sanguis revelavit Petro, sed Pater qui est in cælis, videlicet confessio de Christo, quam tunc nondum volebat divulgari certis de causis.

Si Christus non acceptavit hoc responsum Petri pro responso totius Collegij Apostolorum, tum non debuit ipsis omnibus prohibere, ne illud divulgarent, sed debuisset prius reliquos itidem seorsim compellere & audire, num hoc ipsum intelligerent, quod Petrus protulerat, & tum demum Petro & reliquis omnibus silentium illud imponere.

LV. Similis est ut obiter moneatur, & similem requirit conciliationem contextus in miraculo de quinque panibus & duobus piscibus, quæ historia describitur Matth. 14. & Johan. 6.

In Mat-



In *Matthæo* discipuli omnes Christo sollicitè prospecturo turbis de cibo dicunt, non habemus hic nisi quinque panes & duos pisces. Verum apud *Ioannem*, tantum unus ex discipulis nimirum *Andreas* frater *Simonis Petri* respondit, Est puerulus quidam hic, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisciculos. Hoc unius responsum apud *Johannem Evangelistam* ipse Dominus juxta alterum *Evangelistam* habuit pro responso omnium, ideoque illico cunctos alloquitur, Afferte eos mihi huc. item Facite ut isti discumbant.

LVI. Præterea si illa verba, tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, sunt referenda ad solum Petrum, cum etiam sequentia ad eum solum pertinent, nimirum & portæ inferorum non prævalent adversus eam. Verum quod reliquis accidit, illud etiam accidit Petro, quoad persecutiones & ad mortem. Quando verò considerantur ea quæ in Petro fuerunt invicta tum eadem reperientur in reliquis Apostolis invicta, scilicet vera illa confessio quod Christus sit Filius Dei. Necessariò igitur concludendum est, quod eadem verba fuerint omnibus dicta.

LVII. Agnoverunt eandem expositionem Patres. Audiat *Ambrosius super caput 2. Ephesiorum*: dicit Dominus ad Petrum, super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, hoc est, in hac Catholicæ fidei confessione statuo fideles ad vitam, ipso angulari lapide Jesu Christo. Hæc ille.

LVIII. *Augustinus tomo 9. tract. 124. in Evangelium Iohannis*: quod attinet ad ipsum (Petrum) natura unus homo erat, gratia unus Christianus, abundantiore gratia unus idemq; primus Apostolus, sed quando ei dictum est, tibi dabo claves, & quodcumq; ligaveris &c. Universam significabat Ecclesiã, quæ in hoc seculo diversis tentationibus velut tempestatibus quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super Petram, unde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à Petra, sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus, tu es Christus filius Dei vivi. Super hanc ergo inquit Petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo



potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Ecclesia ergò quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi solvendi que peccata: quod enim est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est, per significationem Petrus in Petra, quâ significatione intelligitur Christus Petra, Petrus Ecclesia. *Hæc Augustinus.*

LIX. *Nicolaus de Lyra:* Vos autem quem me esse dicitis, quasi dicat, si alii errant opinando falsa de me, vos tamen non debetis errare, qui tam diu mecum fuistis, & meam doctrinam frequenter audivistis, & miracula tanta vidistis. Respondens Simon Petrus dixit. Petrus tanquam principalis inter alios pro se & pro aliis dedit responsum. Et ego dico tibi, pro te & pro sociis tuis, quia tu es Petrus, id est, Confessor Petræ veræ, quæ Christus est factus, & super hanc Petram, quam confessus es, id est, super Christum, &c.

*Et paulò post:* ex quo patet, quòd Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis vel dignitatis ecclesiasticæ vel secularis, quia multi principes & summi Pontifices & alii inferiores inventi sunt apostatasse à fide, propter quod Ecclesia consistit in illis personis, in quibus est noticia vera & confessio fidei & veritatis. Et tibi dabo: non solum pro te: sed etiam pro aliis. Sicut enim confessio Petri, erat confessio aliorum, ita potestas hæc Petro data intelligitur dari aliis, licet Petro principalius, in quantum erat aliorum capitaneus. *Hæc ille sub medio papæ scripsit, unde coactus fuit obiter immiscere Petro principalius, in quantum erat aliorum capitaneus, fuisse datam (unâ cum aliis tamen) illam potestatem.*

LX. Sed & omninò, quod ex *hypothesi ad tempus* largiemur, etiam si ipse Petrus à Christo vocaretur Petra, tamen nihil quicquam illud pro ipsius Petri prærogativa, prout à Pontificiis urgetur, ullâ ratione facere potest. Nam & aliàs in Scripturis sacris cuncti & singuli Apostoli appellantur styli, columna, fundamenta nimirum non aliter nisi respectu veræ confessionis, de Christo Filio DEI, quam ipsi primi prædicarunt, & ubique locorum per totum orbem terrarum fundarunt & ædificarunt, Roman. 15. 19. 20. 21. *Ab Hierusalem per circuitum usque ad Illiry-*

CHM



cum teplevi EVANGELIUM CHRISTI, sic autem predicavit  
Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus ne super alienum fun-  
damentum ædificarem, sed sicut scriptum est, quoniam quibus non est  
nunciatum de eo, videbunt &c. Gal. 2, v. 9. Iacobus & Cephas & Ioan-  
nes οἱ δοκῶντες εὐλογεῖν αὐτόν. Eph. 2, v. 20. super ædificari super fun-  
damento Apostolorum & Prophetarum, ipse summo angulari  
Christo. Apoc. 21. 14. Murus urbis habet fundamenta duodecim in  
quibus sunt duodecim nomina Apostolorum, agni. Imò Pe-  
trus ipse, postquam Christum nominasset, λίθος ζωῆς 1. Pet  
2, v. 4. Mox sequente versu λίθους ζωῆς vocat omnes pios &  
addit, & ipsi tanquam lapides vivi super ædificamini &c.

LXI. Cum Pontificij plerumq; confugiant ad Patrum præ-  
sidia, plura jam audiamus etiam illorum hac de re iudicia. Sic  
igitur Epiphanius l. 1. tom. 2. c. 39. contra Catharos propemodum in medio  
capitis. Suscepit igitur poenitentes Dominus, & ipsius Ecclesia,  
quemadmodum convertit se Manasses, Filius Ezechia &  
susceptus est à Domino & qui negavit ad tempus sanctus ille  
Petrus ac summus Apostolorum, qui verè nobis factus est firma  
Petra fundans fidem Domini, super quam ædificata est Ecclesia  
per omnes modos, primum quidem, quia confessus est Chri-  
stum filium Dei viventis, & audivit, super hanc Petram fir-  
mæ fidei ædificabo Ecclesiam, quandoquidem manifeste  
confessus est filium Dei verum.

Idem ibidem è vestigio: sed & hic firma Petra ædificationis,  
& fundamentum domus Dei factus est in eo, quod abnegavit  
ipsum & rursus confessus est, & à Domino inventus ac di-  
gnus factus, ut audiret, pascere oves meas & pascere agnos meos  
& pascere oves meas. Christus enim hoc dicens, ad conver-  
sionem poenitentia nos duxit, ut in ipso rursus ædificaretur  
illa bene fundata fides Hac ille.

LXII. Basilus in l. de poenitentia: Petrus dixerat, tu es filius  
Dei vivi, & audierat, se esse Petram, ita laudatus à Domino, licet  
enim petra esset, non tamen petra erat ut Christus: ut Petrus  
petra erat. Nam Christus verè est immobilis petra, Petrus  
vero propter petram. Axiomata namq; sua Christus largitur  
aliis, Lux est, vos estis lux mundi, inquit, Sacerdos est,

&c



& facit sacerdotes. Ovis est & dicit, ecce ego mitto vos tanquam oves in medio luporum. Petra est & facit petram. Hæc *Basilii*, manifestè docens, Petrum posse dici petram non respectu personæ suæ, sed ratione confessionis suæ de vera petra, quæ est inconcussa & invicta confessio, talisq; erit & manebit usque in perpetuum.

LXIII. Ante omnia verò alia aliorum Patrum testimonia digna esset, quæ hic tota referretur, Origenis explicatio, valdè profunda, plena rationibus, sine allegorijs, quibus ille aliàs abundare solet. Sed quia proluxa est, videat eam benevolus lector apud ipsum Origenem super caput Matth. 16. tractatu primo, cuius est titulus: *De eo quod Dominus in Casarea percontatus est, quem ipsum dicerent esse homines.* Et hæctenus de priore oraculo.

*De dicto Job. 21. Simon amas me, pascere oves meas.*

LXIV. Ad alterum oraculum sacrum, *Simon amas me, pascere oves meas*, quod attinet, probare connituntur Pontificij, primò illud soli Petro dictum esse, deinde tò pascere in sese continere omnem actum pastorem, nimirum præbere cibum, ducere, reducere, tueri, præesse, regere, castigare, præterea per agnos gentes, per oviculas Judæos, per oves Apostolos & Episcopos indicari, deniq; urgent, tò meas significare idem quod OMNES, adeoq; oves meas idem esse, quod totum ovile meum, seu totam Ecclesiam meam.

*An non hoc est ita concludere, pica cantat ergo advenient hospites.*

Non autem dubium est, ex ipsis Pontificijs cordatiores partim sentire conscientiarum stimulos, partim etiam ridere, partim indignari, quando audiunt tantam miseriam argumentorum, quibus isti tantam rem confirmare audent, perindè ac si cum pueris luderent.

LXV. Omninò ad tantæ dominationis Catholicæ confirmationem inculcandam opus erat contextuum planissimorum subsidijs robustioribus, qualibus exempli gratia in veteri Testamento confirmatur prærogativa summi sacerdotis, & reliquorû sacerdotum filiorum ejus, qui eidem succedebant, quanquã summus sacerdos Mosaicus nunquam millesimam partem istius potestatis usurpavit, quam sibi arrogant Pontifices Romani.



LXVI. *Summa potestatis* Aaronis erat hæc, ut haberet inspe- *Quam claris*  
ctionem super reliquos Sacerdotes & Levitas omnes, *officium i-* *textibus inni-*  
*tem* quod reliquorum Sacerdotum, nisi quod præ reliquis o- *tatur Aaroni-*  
mnibus ipse solus semel in anno ingrediebatur in sanctum, *ei sacerdotij*  
sanctorum. Et tamen admodum perspicuè & prolixè hæc *dignitas.*  
authoritas ipsius enarratur. *Audi enim quod extat. Num. 3.* Locu-  
tus est Dominus ad Moysen dicens. Applica tribum Levi, &  
fac stare in conspectu Aaron, ut ministrent ei, & excubent,  
& observent, quicquid ad cultum pertinet multitudinis co-  
ram tabernaculo testimonij, & custodiant vasa tabernaculi  
servientes ministerio ejus, Da Levitas Aaron, & filijs ejus, da-  
ti sunt illi à filijs Israel, Aaron autem & filios ejus præficies cu-  
stodientes sacerdotium suum. *Hæc ibi.*

LXVII. *Numer. 8. idem repetitur his verbis à versu 10.* Applicabis  
Levitas coram tabernaculo foederis, convocata omni multitu-  
dine filiorum Israel; cumq; Levitæ fuerint coram Domino,  
ponent filij Israel manus suas super eos, & offeret Aaron Levi-  
tas, munus in conspectu Domini à filijs Israel ut serviant in  
ministerio ejus, statuesque Levitas in conspectu Aaron & fi-  
liorum ejus, & consecrabis oblatos Domino, ac seperabis de  
medio filiorum Israel, ut sint mei, & tui Levitas pro cunctis  
primogenitis filiorum Israel, tradidiq; eos datos Aaron & filiis  
ejus, &c. *Similia extant Numerorū 18. v. 1. & seq. Item legatur Num 3. & 4.*  
quo ordine distribuuntur Levitæ inter filios Aaron tanquam  
inferiores inspectores, qui dicuntur principes, & habere ipsos  
reliquos sub manibus suis.

LXVIII. *1. Paralip. 23. c. v. 28. 29.* iterum Levitæ dantur sub ma-  
num filiorum Aaron in cultum domus Domini, ut custodi-  
ant observationes tabernaculi foederis & ritum sanctuarij &  
observationem filiorum Aaron fratrum suorū, ut ministrent  
in domo Domini. *Quod enim esse sub manu sit idem quod subjici*  
*aliis, patet ex Genes. 16. c. v. 9.* ubi angelus revocans fugitivam Ha-  
gar, revertere *(inquit)* ad Dominam tuam & humilia te sub ma-  
nibus ejus.

LXIX. Imò quando adhuc in deserto circumvagantes Isra-  
elitæ adversus Aaronem & dignitatem summi sacerdotij ejus

D murmu-



murmurent, Dominus grandi miraculo prerogativam Aaronis &c. denuo confirmavit. Deponuntur enim virgæ, & singulis inscribuntur tituli tribuum, collocanturq; coram arcâ fœderis in conspectu Domini. Mane sola Aaronis virga floruisse & simul fructum protulisse deprehenditur, ideoq; adhuc in majorem confirmationem prerogativæ Aaronicæ & ad perpetuam posteritatis memoriam illa virga coram arcâ fœderis in sancto sanctorum in sempiternum asservari mandatur & asservata etiã legitur apud Apostolum ad Hebr. 9. 4. Quis ex his non animadvertet, prerogativam Aaronici sacerdotij inniti clarissimis verbis Scripturæ, & ordinationi divinæ manifestissimæ. Talibus apertis testimonijs destitutus Romanus Pontifex confugit ad agnos, ad oves, ad pascere, & ad quas non allegorias. Neq; enim in æternum talia proferet, qualia hactenus prolata sunt pro prerogativa sacerdotij Aaronici.

LXX. Aaron etiã licet ex præfata & simul miraculosam divinã allegare poterat investituram, tamen sibi nihil amplius arrogavit, cum successoribus suis omnibus, quam illam ipsam jam indigitatam & divino clarissimoq; verbo definitam & limitatam inspectionem super Levitas in quadraginta octo urbibus habitantes, Num. 35. v. 7. quia quoad litteram hæc sola ipsi conceditur, In Ecclesias Judaicas vel etiam alias (extra terram Chanaan) nullã unquam accepit à Domino, nullam unquam usurpavit potestatem summus ullus sacerdos Hierosolymitanus.

*Verum fundamentum primatus Papæ.*  
*Pontifex Aaron ad Pontificem Romanorum quoad potestatem raptam sese habet ut cõsul in una civitate ad Iulium Cæsarem olim Rom. Imperat.*  
LXXI. Quemadmodum verò degenerantibus moribus sancti populi tandem etiam Pontifices summi Hierosolymitani præter & contra verbum Dei suam potestatem apud exteros jactare & ampliare conantur, Unde Actorum 9. v. 2. Saulus impetrat à principe Sacerdotum epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset Christianos, vinctos perduceret in Jerusalem: Ita quoq; Romanus Pontifex hoc abusus Pontificum veterum degenerantiũ exemplo ipse quoq; suam prerogativam non aliter nisi fabulis allegoricis, & palpabilibus mendacijs stabilitã tamen extendere ausus fuit in immensã longitudinũ & latitudinũ spatia, per illã nova dogmata condidit, veritatẽ suppressit, martyres fecit infinitos. Summatim autem, quantũ distat cẽtri punctum à circumferentiæ amplissimæ ambitu, tanto audacia posteriorum sacerdotũ summorum Hierosolymitanorum



minor fuit impietate audacissima Pontificum Romanorum impiorum.

LXXII. Sed ad rem, ut haberi possit genuinus sensus oraculi Dominici, *Pasce oves meas*, ante omnia attendere decet scopum, quem in isto colloquio suo cum Petro habuit Christus. Illum satis dextrè tangit *Augustinus, tomo nono, tract: 121. super Evangelium Iohannis his verbis*: Hunc invenit exitum ille negator & amator, presumendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus, hunc invenit exitum, ut pro ejus nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum perversa festinatione promiserat. *Item*: Redditur negationi trina trina confessio, ne minus amor lingua serviat, quam timori, & plus elicuisse videatur mors imminens, quam vita præsens. Sit amoris officium pascere dominicum gregem, si fuit timoris iudicium negare pastorem. *Hec ille.*

LXXIII. Et omnino conjungendi sunt pro colloquio à Christo habiti cum Petro completionem versus isti 15. 16. 17. 18. 19. *Etenim* ante passionem suam discipulis indicaverat Dominus, Satanam expectivisse cribrationem seu ventilationem eorum, se verò pro Petro (in primis presumtuoso ac magis audace) preces fudisse, ne deficeret fides ejus, tacitè innauens aliquem lapsum Petri securum, non tamen defecturam fidem Petri: addiderat eodem tempore Christus admonitionem, ut aliquando conversus converteret & confirmaret fratres suos Petrus. *Deinde* cum eo ipso jam dicto tempore Petrus in sua temeraria presumptione pertinaciter tamen perseveraret, & diceret, se paratum esse una cum Domino abire & ad carcerem & ad mortem; tunc lapsum aperte prædicat ei Dominus, quod videlicet potius ternis vicibus esset ipsum abnegaturus.

LXXIV. Iam post resurrectionem suam ex mortuis Dominus colloquium suum cum Petro specialiter habitum ad illa indicata capita tam aptè conformat, ut & totum illum presumptionis & negationis actum ante passionis tempora contingentem eidem humaniter in memoriam revocet, & tamen Petrum pristino officio etiam ante lapsum inuncto deinceps fungi jubeat. *Quærit n. prima vice, an PLUS diligat quam reliqui, nimirum quia antea præ reliquis volebat esse paratus ad carcerem & ad mortem cum Domino; quærit secundâ vice, omittens illud PLUS, quærit*



rit etiam tertiâ vice iterum omittens, illud PLUS, quia animadvertit Christus, jam modo dictis, Petri pectus fuisse satis tactum, & à Petro satis intelligi causam talium interrogationum, siquidem ipse tristis fiebat, quod Dominus ter interrogarat, quemadmodum videlicet ternas ejus abnegationes ante passionem suam eidem vaticinatus fuerat.

LXXV. Hisce ita præmissis Christus pergit, & quia ante suam Passionem Petrum ad mortem temerè & nimis audacter paratum esse audierat, econtra quia deinceps pro confessione Christi passim in orbe terrarum necessario patiendum & moriendum veniebat discipulis, iccirco in specie Petro prædicit, qua morte ipse deinceps esset honoraturus & glorificaturus Dominum.

LXXVI. Atq; ex hac brevi & verissimâ declaratione cuius ad oculum apparet 1. Trinæ abnegationi appositissimè correspondere trinam interrogationem, 2. Confirmationi fratrum post cõversionem suam faciendæ bellè congruere mandatum de pascendis ovibus. 3. præsumtuosæ abitioni ad carcerem & ad mortem bellissimè succedere mortem, qua deinceps majore Spiritus Sancti ex alto fortitudine indutus erat glorificaturus Dominum. Eam ipsam ex contextibus facilimè fluentem sententiam etiam, ut annotatum fuit, manifestè animadvertit Augustinus & alij.

LXXVII. Quod verò attinet ad Pontificiorum de eodem oraculo sacro nobis objecta impedimenta, illa utique à tyronibus è medio removeri citra difficultatem possunt, & prorsus disperdi. Et primo quidem etsi nos haud ægre largimur, hoc in loco Christum soli Petro verba facere, tamen vice versa adversarij obtinere nequeunt, ea quæ Petro hîc dicuntur, non pertinere ad officium omnium Apostolorum.

LXXVIII. Deinde τὸ pascere, βόσκειν aut ποιμαίνει, propriè usurpatur de pecoribus, quæ à pastore, educuntur, reducuntur, reguntur, aluntur, defenduntur, flagellantur, Matth. 8. 30. Marci 5. 11. 14. Luc. 8. 32. 34. & 15. 15. Item Luc. 17. 7. 1. Cor. 9. 7. Hinc ad utrumq; statum tum Ecclesiasticum tum politicum per Metaphoram accommodatur, Act. 20. 28. *Attendite nobis & universo gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos, ad pascendum*

*Eccle*



Ecclesiam DEI. &c. Item 1. Pet. 5, 2. *Pascite qui in vobis est, gregem DEI.* 2. Sam. 5. 2. *Tu pascis populum meum Israel, Tu eris dux super Israel.* Veneruntq; & unxerunt Davidem regem super Israel, ubi in Græca versione etiam continetur τὸ ποιμαίνειν.

LXXIX. Quæ cum ita sese habeant, utique ex solo vocabulo ποιμαίνειν nemo audebit Apostolo, nemo etiam Davidi assignare officiorum suorum partes, sed inspiciendi sunt alij textus prolixij, & clari, quibus illæ divinitus describuntur. Petrus debet pascere oves Christi, confitendo nomen Christi apud præsides, reges & gentes Matth. 10. 18. 32. & 18. debet docere omnes gentes ut servarēt omnia quæ mandavit Dominus Matth. 28. 20. debet remittere aut retinere peccata Joh. 20. 23. &c. David debet pascere populum Israel, esse dux & rex super populum Israel, sedendo super solium regni Deut. 17. 18. habendo jurisdictionem super subditos & pugnando bella subditorum 1. Sam. 8. 19. & seq.

LXXX. Hoc ipsum dilucidissimè docuit discipulos suos Christus, etiam tunc quando somnijs de regno terreno inebriati de prærogativis & principatu inter se altercantur Matt. 20. 25. οἱ ἄρχοντες κατὰ κυριεύουσιν ἢ οἱ μεγάλοι κατ᾽ ἐξουσίαν αὐτῶν principes dominantur & magni potestatem exercent. Non ita erit inter vos, sed qui voluerit esse magnus sit vester minister, & quicūq; primus, sit vester servus, ὡς παρ᾽ ἐγὼ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου sicut filius hominis non venit sibi ministrari sed ministrare. Ergo Christus suum exemplum proponens inter discipulos nullum vult pati primatum & per consequens in vocabulo pascere Pontificij pro stabiliendo primatu Petri nullum repositum habent refugium: alios textus ut afferant necesse est, in quibus clarè disponatur, quod τὸ pascere Petro dictum in se complectatur, τὸ omnium Apostolorum, Episcoporum & Ecclesiarum principem & caput esse, id quod nunquam facere valebunt.

LXXXI. Tertio quod agnos gentes, & viculas Judæos, oves Apostolos interpretantur in verbis Christi, de hoc etiam pueri judicare possunt, esse nugas, quas ex ore presbyterorum vel sacerdotum prolatas pro blasphemias esse habendas, pia vetustas jure meritoq; censuit. Tantum videlicet inest robur huic explicationi infantili, quantum isti Decretali, De majoritate &



minoritate C. solita, cuius verba ita habent: nosse debueras, quod fecit DEUS duo luminaria magna in firmamento cœli, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti. Utrumq; magnum sed alterum majus. Ad firmamentum igitur cœli, id est, universalis Ecclesiæ fecit Deus duo luminaria magna, id est, instituit duas dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas & regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est, spiritualibus major est, quæ verò carnalibus, minor. Et quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia agnoscitur. *Hactenus verba Decretalis*, quibus responsum voluit Imperatori Cōstantinopolitano, quando objecit Pontifici Romano Verbum DEI, *Subditi estote omni humano creatura*, Dolent omnes pij, istis ludicris res tantas vendicari, & apud imperitam plebem stabiliri.

LXXXII. Factum autem est sine dubio ex divina providentia, quod suis istis decretis alij contrarias sententias immiscuerunt. *Sic enim habetur distinct. 99. C. primæ*: Primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps sacerdotum vel summus sacerdos aut aliquid hujusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus. *Item*: Universalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur. *Hec & alia in eam sententiam plura ibidem*. Neq; etiam unquā vel Petrus vel ullus Pontifex Romanus gubernationē habuit super cunctas totius orbis terrarum Ecclesias, id quod tamen facile Dominus noster Jesus Christus re ipsa ipsis præstare potuisset, si talem universalem gubernationem Petro & successoribus ejus in his verbis verè fuisset pollicitus.

LXXXIII. Deniq; maximam emphasin sibi somniant in vocabulo MEAS, cum illud interpretantur OMNES oves seu TOTAM ECCLESIAM. At puerilia hæc sunt nimis: etenim longè aliis utitur sacra Scriptura periphrasibus, quando totum orbem terrarum vult intelligendum proponere. Ante passionem non vult Christus, ut Apostoli abeant in viam gentium Matth. 10. 5. post resurrectionem verò suam, ait, *Euntes, docete omnes gentes* Matt. 28. 19. *Item profecti in mundum universum prædicate Evangelium omni creatura*, Et illi profecti prædicaverunt ubiq; Marci 16, 15. Ita Apostolus ex Roma scribit,



bit quod Evangelium prædicatum fuerit in universa creatura,  
quæ sub Sole est: Coloss. 1. 23.

LXXXIV. Ad puerilem hanc ipsam objectionem ferme  
ante centum annos, nimirum anno Christi 1519 Lutherus adu- *pul errimum*  
latoribus Papalibus hoc proposuit pro instantia quod sequitur: *exemplum.*  
Si Carolus Imperator aliquem suorum tribunorum instituit  
Brabantia aut Flandria in hunc modum alloqueretur, Ecce  
committo tibi populum meum, & ille ubique gloriatur, Ca-  
rolum commisisse sibi indistincte omnem populum, & ex hoc  
arrogaret sibi præfecturam in omnibus ditionibus Imperato-  
ris, videlicet Hispania, Italia, Germania &c. & tamen eum  
minimè lateret, Imperatori multos quoque alios esse præfe-  
ctos &c. Hæc Lutherus in libro de potestate Papæ, quæ centum an-  
nis hæctenus illi legerunt, falsa esse convincere non possunt,  
nihilominus tamen tyrannidem veterem in Ecclesias sibi per-  
tinacissimè rapiunt, & rapere non cessabunt, donec eorum  
tempora completa fuerint.

LXXXV. Neq; potest τὸ ΜΕΑΣ aliter exponi etiam in ver-  
bis Christi, pasce oves meas, siquidem attestante Paulo, Galat.  
2. Petrum Dominus constituerat ministrum circumcisionis  
seu Judæorum (potissimum) sese verò præputij. Et negari  
non potest, quod ipsi Apostoli orbem terrarum inter se parti-  
ti fuerint, adeoque diversi in diversis locis Ecclesias planta-  
rint, nequaquam juxta mandata vel dictata Petri, siquidem  
talia fingere, at probare solide nunquam poterunt Pontificij.

LXXXVI. Cum igitur ex solidissimis ita gregi Pontificio visis  
oraculis nec tantillum pro primatu Petri Apostoli ritè cōclu-  
dere liceat, iccirco multo minus primatus Papæ Romani pri-  
matui Petri innixus subsistere valebit. Quin potius, ut jam  
tandem concludamus imitati Lutherum ita argumentamur:  
*Primatus Papæ Romani institutus est vel à Deo, vel ab hominibus vel à Dia-*  
*bolo. A DEO non est institutus, siquidem nec veteres Cano-*  
*nistæ, nec hodierni & recentes Romanorum Pontificum Ja-*  
*nitschari, Jesuitæ, illud expresso claro irrefragabiliq; ullo*  
*verbo Domini in hodiernum usq; diem probare possunt, de-*  
*inceps nunquam probabunt, nisi per allegoricas suas fabu-*  
*las, ex coelo terram & ex terra coelum facere velint.*

LXXXVII. Ab



LXXXVII. *Ab hominibus*, etiam non est institutus quia neque tota Christianitas neque cuncta concilia neque cuncti Episcopi totius mundi à Deo unquam acceperunt licentiam, ut eligerent super universam Ecclesiam tale aliquod caput catholicum, neque unquam res ejusmodi ab ipsis fuit tentata. Immo quomodo elegissent super se caput aliquod Catholicum, cum pleræq; omnes Ecclesiæ Papatui Romano hætenus restiterint, neque illi sese submittere voluerint.

LXXXVIII. Sed nec ab Imperatoribus Primatus iste est institutus. Etsi enim Imperatores Romani regna & provincias alias ad sese trahere sategerunt aut conati fuere, tamen nunquam facti sunt domini totius orbis Oecumenici, neq; quisquam ex omnibus imperatoribus sese verè Oecumenicum futurum sperare ausus fuit vel somniare saltem potuit, qui sanæ rationis fuit. Quomodo igitur urbis suæ primariæ primarium Episcopum in Oecumenicum Pastorem super omnes Episcopos & Ecclesias exterorum sibi non subjectorum regnorum creare potuerunt.

LXXXIX. Per sufficientem igitur remotionem partium nihil restat amplius, quam hoc, Papatum videlicet Romanum seu primatum illum esse à *diabolo institutum*, hoc est, Papam suo se fastu, fraude, temeritate, tyrannide in illam sublimitatem, evexisse, Christianitatemq; suo abominali idololatria implevisse, ideoq; justissimè à Luthero impugnatum, & hodie quoque ab omnibus piis impugnari, *ὁ πτερ εἰς δει δειξαι.*

DEO summo pro felicibus istis successibus sit  
gloria in æternitatum æternitates,  
AMEN.

FINIS.



94 A 7382

ULB Halle 3  
002 183 692




Sb.

VD 17

21.7.99 Bd. 1











& Jo-  
dens,  
liber  
530.  
statur  
tanae,  
m ef-  
nen i-  
, ite-  
edito  
m il-

Ca-  
& ad  
onti-  
lictis  
osten-  
uos i-  
one-  
amen  
ittät.  
terit,  
a.  
illud,  
i scri-  
nus ex  
dien-  
iâ pro  
ur ex

iculi  
fer-  
m-

Letz 4423

44

DISPUTATIO

De

BLASPHEMA ROMANI

PONTIFICIS TYRANNIDE ILLA,

QUAM PRIMAM ANNO AB HINC RE-

trorsum numerato centesimo ipso, nimirum

1517. expressè impugnare cœpit

Vir DEI

D. MARTINUS LUTHERUS

Quæ

*In Academia VVitebergensi ad diem 28. mensis Martij,*

*Anno Christi 1617. repetetur.*

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO S.S.

Theologiæ Doctore, & Profess. P.

RESPONDENTE

M. ABRAHAMO HEINECCIO

WITTEBERGENSI.

WITTEBERGÆ,

Typis Iohannis Gormanni.